



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 100. Pontificis querelæ apud Hispaniæ Regem contra hujus nationis  
Episcopos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

vis Legatis mentionem ingessisset, ad hoc Vicecomes reposuit: „cum novi Legati Cardinale Mantuano vix fatis functo jam fuerint nominati, prout tibi ipsi in comperto habetur, certe nullus suspicandi locus superest, quod Papa ad hosce eligendos aliorum consiliis, aut sollicitationibus fuerit adactus; quapropter tibi haud persuadere poteris, quod Pontifex animum minus propensum, ac benevolum, quem semper hucusque testatus est, erga te foveat.„ Finito hoc colloquio Vicecomes parcius Lotharingium Cardinalem invisebat, & demum post decem dierum moram Patauio discessit Tridentum reversus: Lotharingius vero iter suum Venetias versus profectus intentus erat.

§. C.

*Pontificis querelæ apud Hispanicæ Regem contra hujus Nationis Episcopos.*

Interea crebræ Tridenti habebantur congregationes, in quibus Hispani severitatem inter & moderationem media via incedere nitebantur: sub idem vero tempus Lunensis Comes ex Cæsaris aula ad Martinum Castellum, quem a secretis habuit, perscribens eidem exemplar transmisit illius epistolæ, qua Cæsar significabat, sibi

*Hist. Eccles. Tom. XLVI. N nuna*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1563.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1563. nuntiatum esse, quod Papa de Hispanis Præsulibus quereretur, & quamquam ipse sibi persuaderet, id oriri ex notitia prava ingesta Pontifici, non autem ex modica reverentia in iis Præsulibus deprehensa in Apostolicam Sedem, nihilominus jussit, ut Lunensis Comes, quamprimum Tridentum advenerit, in hosce Prælatos vigilem haberet oculum, efficeretque, ut res ita procederent, ne Pontifici ad querelas ansa præberetur. Hæc epistola Episcopo Salmanticensi, & aliis, qui obsequentiores Pontifici fuerant, pergrata accidit.

## §. CI.

*Conventus quorundam in Granatensis Archiepiscopi cædibus circa Papæ auctoritatem habitus.*

*Pallav n. 11.*  
*Sarp. p. 665.* Verum hæc epistola nullatenus frangere poterat duritiem Granatensis Archiepiscopi, aliorumque, qui pari sensu cum eo afficiebantur: nihil tamen sua oppositione amplius efficere poterant, nisi ut epistolam impetrarent a Lunensi comite, qua circa eorum agendi rationem fusius purgarentur, *clipeum præsertim conscientie*, inquit Pallavicinus, *attollentes splendidum simul ac validum, ad quem omnis auctoritas moderata subsistit.*

Cæsa-